


PRIVILEGIUM
SAC. CÆSAR. MAJESTATIS.

 Gnosimus & notum facimus
tenore presentium universis, quod nobis
Veneranda Societas Jesu in terris &
Provinciis Sacri Romani Imperii hu-
millimè exponi curavit, tum in rei li-
teraria, tum Religionis Catholica detrimentum ce-
dere, quod quidam è Typographis & Bibliopis, cap-
tando lucro injusto inhiantes, libros à Patribus dicta
Societatis multo labore & non minore utilitate com-
positos, forma Characterisque mutatione alteratos,
vel novo Additamento in concinnè & malè auctos,
vel etiam versione non genuinâ, & ab Archetypi sen-
su alienâ, in aliud idioma traductos, & quidem
sub pretextu Privilegii, à nobis vel prædecessoribus
nostris desuper obienti, & hujusmodi libris à Socie-
tate Jesu scriptis temerariè præfixi; citra autho-
rum & ejusdem Societatis Superiorum scitum, vo-
luntatem, consensum, & Censuram imprimant,
reimprimant, divulgent, distrahant, & distrahi
faciant, humillimè supplicando, ut privilegium à
Divis antecessoribus Nostris Romanorum Imperato-
ribus ac Regibus memorata Societati Jesu concessum,
pavissimè verò ab Imperatore Josepho, Domino Fra-
tre nostro gloriosa memoria renovatum clementissimè
confirmaremus, simulq; sub prioribus clausulis &

sub priori poena per omnes Imperii provincias, districtè, seriò ac severè inhiberemus, ut illiusmodi antiquo toties ac noviter confirmato privilegio nec Scriptores nec Typographi & Calcographi aut Bibliopola ulla in parte aut quoquo modo contravenire audeant: Nos perbenignè considerantes, quàm gnaviter ac strenuè dicti Patres in vinea Domini excolenda, Catholica Religionis pomariis proferendis desudant; tum etiam quantum rei Christiana intersit, ut Catholicorum libri, scripta & imagines huiusmodi à Catholicis & probatis Typographis ac Calcographis, cum Theologorum censura edantur; submissis eorundem Patrum precibus eà annuimus libentius, quò certius nobis constat, quòd omnium ipsi scriptores optimè libros suos, ne Religionis Authoribusve injuria aut fraus aliqua inferatur, Censere & recensere noverint, ideoque Privilegium à memoratis Augustissimis Cesaribus, Divis quondam Rudolpho 2do, Mathiâ & Ferdinando 2do & 3tio, nec non Leopoldo & Josepho Sacratissima Recordationis Dominis magnis, pro patribus respectivè, Proavo, Avo, Genitore ac Fratre nostris, dictæ Societati concessum clementer confirmamus & corroboramus, nec non declaramus, nostra intentionis nunquam fuisse, nec esse, ut in privilegiis impressoris ad edendum quibuscunque aliis hætenus concessis vel in futurum concedendis includantur aut inclusi comprehensaque intelligantur libri, ab Authoribus à sæpè laudata Societate Jesu scripti, nisi in concessione, aliqua expressa & specifica eorum facta fuerit mentio.

Ac pròinde auctoritate nostrâ Casarè à omnibus

Et singulis Typographis, Bibliopolis, Calcographis, sculptoribus atque aliis quacumque librariam negotiationem exercentibus serio vetamus atque inhibemus, ac iam ante vi saepedicti privilegii vetitum & prohibitum fuisse declaramus, nequis libros vel ari impressas imagines ac scripta ab ipsis patribus haecenus, tamen cum ejusdem Societatis Jesu consensu jam semel aut saepius etiam extra Sacri Romani Imperii fines edita, vel impofterum edenda nequidam praetextu ullius privilegii, intra Sacri Romani Imperii regnorumque ac Provinciarum nostrarum hereditariarum fines, simili vel alio characteris genere aut forma, sive in toto, sive in parte, in aliam linguam vertere, recudere, sculperere, vel alio vertenda, recudenda, sculpendave mittere, aut versa, impressa vel sculpta adducere, vendere, aut distrahere clam seu palam, citra Praememoratorum Patrum consensum ac Testimonium, quod nobis cum nostrum impetrare volent Privilegium, ostendere teneantur, audeat vel praesumat.

Si quis autem secus faciendo Privilegium hoc nostrum & Divorum praedecessorum nostrarum temerario quodam ausu negligere, transgredi aut violare non fuerit veritus, is non solum praedictis libris & iconibus perperam quippe versis, recasis & adductis (quos praenominati Patres eorumque mandatarii ubicunque locorum deprehensos vel propria auctoritate, vel Magistratus illius ope & auxilio sibi vendicare poterunt) de facto privandus, sed viginti insuper Marcarum auri puri puri probi aario sive fisco imperiali, fraudis nimirum vindici, ex uno; ex altero vero semisse, saepe dictis Patri-
bus

bus eorumve mandatariis, omni spe venia ac remissionis precisâ, pendendarum mulctam dare dammandus esto....

CAROLUS.



Præfens Cópia concordat cum suo penes Archivum Imperiale Aulico-Latinum existente Originali conceptu. Id quod hisce attestor Vienna 7. Aprilis 1728.

JODOCUS BEIN Arcanæ Cancellariæ
Imperialis Aulico-Latinæ Registrator.

INDEX

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Archi.
Origina.
Vesme 7.

Cancellari
Regular.